

terra, non soli homines, in Sinai scilicet, concussa est, ideoque ea etiam verba verum coelorum motum indicare certissimum est.

Non solum autem coelum, sed cum eo simul universum terrarum orbem tremebundum reddidit vox Iesu in cruce; coelum & terra in libris ut Mosis Genes. I, 1. ac reliquorum V. T. vatum, ita quoque Haggaei, denotat id, quod latini dicunt rerum universitatem; explicatius tamen de terra quam de coelo loquitur Haggaeus, dum pronunciat, & terram continentem & maria, ita enim, Mose interprete Gen. I, 10. explicamus *mare & aridum* Haggaei, motum iri. Tam vetus quam nova mundi historia, magno id consensu tradit, in gravissimis terrae motibus plerumque observatum esse, mare, nullo quidem vento agitatam turbatumve, horrendo quasi aestu magnopere efferverescere. Auctor est PLINIVS cum terra afflicta naves quoque in mari intremere & in navibus posita aequae quam in aedificiis, & ne volucres quidem impavide sedere (2) simulque cum terrae motu & inundationes maris fieri, & in puteis quoque turbidioram aquam, nec sine odoris taedio esse. (3) Huic DIODORVM iungo, qui cum horrendis terrae concussionibus in Graecia tantas maris inundationes factas esse testatur, ut multis urbibus ad littora sitis exitium attulerint. (4) De cuius rei veritate quo minus dubitemus, tristissimum illud excidium Vlyssiponae, nostra memoria ingenti terrae motu evervae prohibet. Recenti enim memoria tenemus, tantos in eo terrae motu fuisse aestus maris, ac fereno coelo, tranquillo aere, tantopere intumuisse, & quasi exarsisse, ut non solum Tagus eo inundaretur, verum etiam lacus ac fontes ac thermae in Germania, Helvetia ac Bohemia commoti impetum maris sentirent.

§. 10.

(2) l. c. c. LXXXIII. (3) l. c. c. LXXXVI. (4) Biblioth. Histor. lib. XII. p. III. edit. Laurent. Rhodomanni.